

^{XXII}
DISPUTATIONUM

Logicarum XVI.

De

SYLLOGISMO
TOPICO.

quam

DEO FELICITANTE

*Senatu Amplissima Facultatis Philosophicae
in Celeberrimo & illustri Albimontio
approbante*

sub praesidio

M. ADAMI BLÜTI
Quedlinburgensis Saxonis

Ventilanda exhibet

ANDREAS JACOBI F. MARTINI
Vittebergensis.

Ad diem 3. Februarii.



WITTEBERGAE.

Typis Haredum Johan Richteri.

ANNO M. DC, XXI.

STYLIOGISMOS
TOPICO

M. ADAM BILLY
Quodlibetarius

ANDREAS JACOBI MARTINI

ANNO M. DC. LXXI





Continuatio.



*E*ptum à nobis ostendi disputationibus aliquot precedentibus, quo pacto communis illa & formalis Syllogismi structura & illationis vis in diversis materiis occurrat: eundem cursum nostrum (quod jubet rerum series) porrò continuabimus, & quia hucusq; de materia necessaria ac inevitabiliter tali operam nostram præstitimus, non verò ubiq; & in tota rerum latitudine apodictica illa à *ἀναγκαστικῶν* locum invenit, de *ἐνδόξοις*, jam & quæ rigorosâ illâ necessitatis lege non tenentur, non nihil adijciemus, cum omnibus omninè rebus noemata Logica applicari debere, solers præceptorum nostrorum industriâ dudum nos confirmaverit. Hæc prælibavimus, jam emergat.

THESIS I.

ANtequam verò ad rem magis accedamus, monendum te duco, quisquis es, Syllogismum hunc non esse alium ab illo, cujus leges & præcepta in prioribus analyticis inculcata. Idem enim syllogismus est & manet, nec in his Topicis libris immutatur, aut fit alius; sed ut ibi, sic etiam hîc pro distincta & diversa materiæ conditione distinctè saltem & diversimodè ap-

A 2

plicatur

plicatur & accommodatur, ut nihil de formalitate sua perdat,
sed illam ubiq; sartam tectam retineat & obtineat.

II.

Hoc igitur agendum nobis hoc loco, ut dicta illa
norma & mensura, quam ibi in abstracto saltem consideravi-
mus, ad præsentem materiam, h. e. res illas quæ ex ἐνδόξοις pro-
babilibus & communibus petendæ principiis, cum proximæ
ipsarum causæ & legitima formarum facies nobis non obviæ,
rite applicetur & accommodetur.

III.

Ut autem hoc eò fiat commodius, evolvenda quo-
que hîc in limine librorum horum inscriptio & propria na-
tura; iis enim ignoratis, multum lucis & perspicuitatis in
subsequentibus desiderabitur.

IV.

Inscriptio se nobis offert gemina. 1. enim dicun-
tur *Dialectici* hi libri, quod nomen à διαλέγεσθαι à colloquendo
& differendo ipsis impositum excludit omnia quæ aliàs vel
de necessariò veris vel de φανομένωσ, saltem talibus, vel de-
nique de structura generali in disciplina hac traduntur &
proponuntur.

V.

2. Dicuntur *Topici*, idque ἀπὸ τῶν τόπων à locis,
qui ita demonstrant Argumentum ut notæ appositæ thesau-
ro recondito in terris ostendunt, quo modo erui ille possit,
parvo labore nullo errore, quæ verba ex Cicerone l. 2. de Orat.
citât Clarif. Jacobus Martini Disp. Misc. 13. Th. 3.

VI.

Quàm varia autem vocis hujus (*Locus*) ambigui-
tas & ὁμωνυμία, quæque significatio hîc loci potior, mul-
tis exponit exemplisque declarat inter alios *Balforeus* in l. 1.
Top. Proem.

VII. Pro;

VII

Propria natura horum librorum illud nos monet, quod doctrina hac cum tota Logica non confundenda, quippe à quâ ut pars à toto differt: quod vel nominis notatio modò apposita planum facit. *διαλέγεσθαι* enim nemo dicitur, nisi ex *ἐνδόξοις* h. e. probabilibus de quibus *περὶ τῆς δοθέντος* datur disceptatio, ratiocinetur & discurrat. Quis autem nescit Logicam generale quid esse & non tantùm de talibus, sed quibusvis materiis discurrendi modum præscribere?

VIII.

Quod si perpendisset ille qui non nisi ad convitia in Aristotelem & veritatem natus, nunquam hoc nomine, ad unco, quod dicitur, naso Philosophum suspendisset, nec tam in maximum distinctissimarum rerum discrimen injurius, Dialecticam pro totâ discurrendi arte obtrudere nobis fuisset ausus.

IX.

Est verò Syllogismus Dialecticus, qui ex probabilibus præmissis colligit conclusionem probabilem. Verba Philosophi: *ἔστι δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικὸς, ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογισθόμενος*. l. 1. Top. c. 1.

X.

Ubi prædicatum duntaxat evolvemus, de quo si constiterit nobis, nihil quoque in subjecto vel definito desiderabitur; cum definitio explicitè dicat idem, quod implicitè subjectum sive Definitum.

XI.

Dicit ergò definitio, Syllogismum Topicum sive Dialecticum procedere ex *ἐνδόξοις probabilibus*; quæ quid sint eodem in loco Philosophi verba sic manifestant: *ἐνδόξα δὲ τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς καὶ ἰστέτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις*. l. 1. Top. c. 1.

A 3

XII. Quæ

XII.

Quæ dum ita à nobis proponuntur, non imus inficias, quosdam dari gradus probabiliū. Dubium enim non est, quin longè majorem habeat probabilitatis speciem, quod omnibus videtur, quàm quod plurimis; & quod plurimis, quàm quod solis sapientibus, & sic porrò: quæ latius diducta & exemplis illustrata, vide mihi apud Balf. in 1. Top. c. 1. t. 5.

XIII.

Hinc ductu Præceptorum nostrorum partes Syllogismi Dialectici duplices facimus *Remotiores & propinquiores.*

XIV.

Propinquiores sunt præmissæ & conclusio probabiles, quod innuit Philosophus dum ita: *γίνονται μὲν γὰρ οἱ λόγοι ἐκ τῶν προτάσεων: περὶ ὧν δὲ συλλογισμοὶ, τὰ προβλήματα εἰσι.* l. 1. Top. c. 3.

XV.

Non itaque sumitur Propositio hîc à Philosopho, ut est pars aliqua Syllogismi, aut idem cum Enunciatione: Sed ut à Dialectico interrogatur ad eliciendum respondentis assensum, ut ex eo postea ille ratiocinetur. Nam illo modo sumpta *ὑπόθεσις* propriè dicitur & aut affirmatio est aut negatio. Supra laudatus aut d. 1.

XVI.

Προτάσεις Propositiones Dialecticæ sunt *interrogationes, quæ apertè interrogant id quod videtur omnibus vel pluribus, ut: Nonne Parentes diligant natos suos?* Quæ nobis de suis hic largitur Clariss. Jacob. Mart. Disp. Miscel. l. 1. disp. 13. th. 8.

XVII.

Problema (Hoc nomine enim Philosophus conclusionem notat) est, cum res utrinq; labrica, ut neutram in partem de eâ detur consensus: sed vel multitudo sapientioribus, vel hi sibi ipsis certamina movent & in contrarias mentes abeunt.

XVIII. Dis

XVIII.

Dissensus iste ac eruditum litigium in causâ est, quòd quæstio ejusmodi duplici exprimitur interrogationis nota. Innuitur enim illo, intricatum esse quæsitum, & propter latibula diversa altiùs intendendum veritatis scrutinium & partem utramque examinandam. Exemplum hoc esse potest: *Utrum virtutis formale consistat ἐν μεσότητι, nec ne?*

XIX.

Fuerunt hæ partes Syllogismi Topici propinquiores, sequuntur jam Remotiores illæ, ex quibus propinqua componuntur.

XX.

Partes hæc constituunt *prædicata Topica* sive *loci*, quæ sunt sedes argumentorum, sic dicti ab eo, quod monstrant undenam argumentum ad fidem faciendam quæstioni, sit desumendum.

XXI.

In Enumeratione horum locorum sive prædicatorum Topicorum nihil minus invenies apud autores quàm consensum. Tot enim fermè discrepantes in hoc occurrunt sententiæ, quot conscriptos vides libellos Logicos. Nos vestigiis insistentes Philosophi nostri quatuor eorum largimur: *Accidens, Proprium, Genus & Definitionem.*

XXII.

Sic enim ille: *δῆλον ἔν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι κατὰ τὴν νῶν διαίρεσιν τέτταρα τὰ πάντα συμβαίνει γίνεσθαι, ἢ ἴδιον, ἢ ὅρος, ἢ γένος, ἢ συμβεβηκός.* Et paulò post: *ἀλλ' (λέγω) ὅτι ἀπὸ τῶν καὶ τὰ προσβλήματα, καὶ αἱ προτάσεις γίνονται.* l. i. Top. c. 3.

XXIII.

Miranti tibi, quæ *Differentia* sit omiſsa, reponimus Aristotelem nostrum ut ubique, sic etiam hîc præter necessitatem Entium numerum non multiplicare. Jam verò *Differentia* sub *Genere* comprehenditur, unde & communem cum ipso locum eam constituere non injuriâ affirmamus. Hinc Philosophus:

Iosophus : Καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν , ὡς ἔσται γενικὴν , οὐκ ἔστι
γενεῶν ταντέων, i. e. Nam Differentia, quia generale quidpiam est,
in eodem in quo Genus numero reponenda est. I. d. & non sine
caussa. Etenim genericæ tantum Differentiæ, non verò spe-
cificæ in hoc argumentandi genere locum habere possunt.

XXIV.

Sufficienciam autem hujus quaternarii numeri suis
fulcris non destitutum putamus, cum nulla dari possit propo-
sicio, quæ non constet vel definitione, vel Genere, vel proprio
vel Accidente. Nam omne problema est aut Essentiale aut
non Essentiale. Si illud, aut convertitur ut *Definitio* aut non
convertitur ut *Genus*. Si non Essentiale, tum itidem aut con-
vertitur, & est *Proprium*; aut non, & est *Accidens*.

XXV.

Non bonâ fide agunt cum Aristotele, qui ipsum accusant,
quasi sub istis nominibus de quavis re quæstionem voluisset
institui. Nec enim verum est, his quatuor quæstionum gene-
ribus quæri tantum, proposito aliquo genere, *sitne rei de qua
queritur genus?* aut proposita definitione aliqua, *sitne rei pro-
posita definitio?* aut proprio proposito, *sitne rei proposita pro-
prium?* aut accidente, *sitne Accidens?* Sed hoc vult Aristoteles,
quicquid ad differendum proponitur, id ejusmodi esse, ut ho-
rum aliquo quatuor comprehendatur. Quæ verba ex Peronio
contra Agricola citat Balf. in I. Top.

XXVI.

Nec enim puto alia problemata ad hæc 4. capita non
quadrantia quenquam proferre posse. Nam ad illud quod de
caussis objicit nonnemo, respondeo, causam de qua quæstio
est, si essentialis & propria, ad *Proprium*; sin minus, ad *Acci-
dens* esse referendam Jac. Martini l. d. Sit ergo perfectus qua-
ternarius iste quæstionum numerus.

XXVII. Or-

XXVII.

Ordinem horum problematum, cum omnia prolixius exponere instituti nostri non sit, apud ipsum vide Philosophum. Incipit autem ab Accidente, postea de Genere agit, post hoc de proprio & definitione. Omniaque concinnâ proponit dexteritate, nec non præcepta adjungit informantia tam respondentem, quàm Opponentem, quomodo partibus suis rectè defungi debeant, ut nihil amplius in ipso ad hanc rem pertinens, jure desiderari queat.

XXVIII.

Et hæc brevis fuit *συναγωγή* illorum quæ in augustissimis illis Topicorum libris copiosè proponuntur. Non etiam planè rejectam volumus aliorum sententiam, qui paulò aliter locos distribuunt, sed cuiuslibet sententiæ suam utilitatem, quâ licet, meritò relinquimus.

XXIX.

Hoc saltem notetur, quod, cum hîc loci de *subjecto, adjuncto, causa, Conjugatis* &c. sermo est, illa non tractet Dialecticus, quiditativè & sub propria illarum ratione. Aliundè enim terminos illos mutuatur, & quia de rebus omnibus, quæ in se & propriâ suâ essentiâ infinitæ, ipsi differendum; cogit illas sub notas has generales, naturamque communem in illis spectat & ita sibi consulit. Fontes autem è quibus principia illa derivantur tres sunt: *Metaphysica, Grammatica & Logica.*

XXX.

Si cui verò utilitas hujus doctrinæ suspecta, is sanè sibi ipsi parum utilis nobis videtur. Nec enim illud saltem quod bovem aliquem confert culinæ tuæ, spectandum, sed litandum insuper honestis & liberalibus exercitiis. Hæc enim si demptâ fuerint, vix habebis quo eruditum plebeo, imò hominem bruto contradistinguas. Nec verò id solum: Nam dubitatio isthæc & erudita ignorantia agilem & solertem facit intellectum tuum, & ad futuram, si qua datur, *διόδου* viam parat. Arrideat ergò & nobis: quicumque autem

B

nil

nil nisi sordidum quærunt & julæ inserviens, res sibi suas habeant.

Coronis.

Ramiffa seculi incommoda, ut ubique, sic etiam hic loci livoris dentem accuunt in gentem Peripateticam. Sic enim contra hanc sonat illorum taratantara: *ἴαυ] λογίας vitium est, de eodem bis agere.* Putant autem hoc fieri, cum de Prædicabilibus, quorum hîc sedes propria, etiam agitur ante prædicamenta. At (ignosce qui ipsis faves) censores istiparum tenent *παιολογίας* leges. Neque enim hæc committitur nisi utrobique de eodem agatur eodem modo: cum res quàm plurimæ in materiali prorsus eadem diversis in disciplinis locum inveniant, modò formale sit diversum. Quod si forsitan pro candore suo negare hoc tentent; Me CHRISTE! quàm absurdi nobis erunt, & ejusdem criminis, quod nobis imponunt, ipsimet rei agendi. Aut enim omnia in unica

saltem proponant disciplina, aut formale diversum,

h. e. aliam considerandi rationem ad diver-

fas disciplinas sufficere nobiscum

fateantur.

FINIS.



Præstantissimo atq; Doctissimo Domino
Respondenti amoris ergò fecit,
E. S. ab Heyden. E. B.

Virtutis proprium meritum laudesq; parentum,
Sunt genus & verè nobilitatis honos.
In te conveniunt ambo laus clara Parentis
Et Virtus proprià qua probitate viget.
Hanc sequitur studium, quò tu, dum scripta Sophorum
Sedulitate legis, fœnora magna legis.
Fœnora magna legis, tentans vestigia Patris,
Olim gnate quibus tu Pater esse potes.
Hinc Andrea tui merito laus culta manebit,
Atq; decens verè nobilitatis honos.
Adjuroet Ipse D E U S (si quo labor omnis inanis)
Quin possis semper sedulitate frui,
Nobilis & verus factusq; auctusq; deinde
Ludas quos solum nobilitat clypeam.

Idem.

Villa nec census, neque stemma clarum,
Sed labor junctus pietate verà,
Sunt viris vendit quibus ipsa Virtus
Nobilitatem.
Tu cui nubent labor atque candor
Cordis, & mens est probitate dia,
Quis vetet quin nobilitatis esses
Altus alumnus?

Perge

Perge ceu pergis: pūgil haud triumphat,
Qui suum tardus peragit duellum;
Fortis ast hostem premit ipse tandem
Victor ovabit.

Perge ceu pergis, Patriosque scande
Tramites recta citò sic ad altas
Fiet aggressus tibi dignitates,

Æmule Patris.

Perge ceu pergis, Deus ipse ditat
Sedulos, qui te neque derelinquet,
Dum bonam metam petis atque finis

Est tibi rectus,

Perge ceu pergis studiis decoris,
Perge ceu pergis studiis leporis,
Perge ceu pergis studiis honoris,

Auspice Christo.

Perge Martini Patris ipsa imago,
Perge Martini decorare nomen,
Perge Martini superare nomen

Laude perenni.

Aliud.

Quam pulchrè *Andrea* nostri pars altera cordis
Esse cupis patriæ nobilitatis honos!
Scilicet hoc æquum: Logicen animando parentis,
Ire per exemplum. Perge modo hoc itiner.
Perge mihi, immò tibi; sic quondam laude beabit
Ut suboles patrem, sic pater & subolem.

adfectus debiti ergò

subitò dabam


M. Adamus Blütbius Pres.

Wittenberg. Diss., 1613/23

V. 17

ULB Halle 3
002 673 304





^{XXII}
DISPUTATIONUM
Logicarum XVI.

162.1

1

30

De
**SYLLOGISMO
TOPICO.**

quam
DEO FELICITANTE

*Senatu Amplissima Facultatis Philosophica
in Celeberrimo & illustri Albimontio
approbante*

sub praesidio

M. ADAMI BLÜTI
Quedlinburgensis Saxonis

Ventilandam exhibet

ANDREAS JACOBI F. MARTINI
Vittebergensis.

Ad diem 3. Februarii.



WITTEBERGAE.
Typis Haredum Johan Richteri.

ANNO M. DC, XXI.

